

aliqua debita nomine ecclesiae contrahere sine consilio et voluntate dominorum, et quod bona arrestata seu alienata per ipsum civibus vel aliis extraneis ab ecclesia debeat revocare et repetere, cum effectu et se de cetero non intrmittere de officiis dominorum nec de privilegiis ecclesiae nec sigillo conventus nec claves ad eadem privilegia et ad sigillum pertinentes sibi usurpare vel attrahere quoquo modo; debet etiam praebendam debitam et consuetam de bonis ecclesiae ac offertoriis pro posse suo dominis ministrare et cum ipsis comedere in refectorio, nisi infirmitas aut alia evidens necessitas aut supervenientes sollempnes hospites ipsum a refectorio illa vice excusent omni fraude et dolo remotis; et quod nullum de conventu debeat privare officio vel beneficio per suspensionem a divinis nec incarcerationem vel alias punire nisi convictum coram dominis in capitulo secundum formam regulae. Item nullum recipiet . . . praepositus novitium vel praebendarium nec iam receptum ad sacros ordines faciat promoveri vel extra scolas ponat nisi de consensu capituli, ut antiquitus est servatum, item nec religiosos vel saeculares alienigenas parrochiis ecclesiae praeficiet etiamsi ad parvum tempus sive in Lyptzg sint parrochiae seu in villis, nisi capituli sui ad hoc accesserit consilium et consensus. Omnia etiam debita per . . . praepositum contracta sive de seitu capituli processerint sive non dabit infra hinc et diem beati Remigii exclusive in scriptis; quod si aliqua scribere neglexerit, super iis postea nullatenus audietur, ut scire possimus quod debita ista minorentur et non multiplicentur nec augmententur. Contrarium huic ordinationi facientes in parte aliqua vel in toto qui fecerit sive . . . praepositus sive alter, factum ipsius decernimus irritum et inane ac nullius esse momenti; et nihilominus sic delinquens sit tamdiu ab officio et beneficio suspensus donec a nobis mereatur absolvi. Quam quidem amicabilem concordiam in omnibus suis articulis et punctis approbamus ratificamus et confirmamus volentes et praecipientes in virtute sanctae obedientiae et sub poena praedicta, quam in delinquentem ferimus in his scriptis, eandem concordiam per praedictos . . . praepositum et conventum inviolabiliter observari. In quorum omnium testimonium hanc nostram litteram scribi fecimus et nostri sigilli appensione muniri. Datum et actum Mersburgh anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXVI<sup>o</sup>. in die beati Lamperti martyris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 120. 1368. 14. Aug.

*B. Friedrich von Mersburg untersagt namhaft gemachten Personen den Verkehr mit dem abgesetzten Probst Ulrich von S. Thomas und bedroht sie im Falle des Zuwiderhandelns mit der Excommunication.*

Fredericus dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Mersburgensis universis ad quos praesens mandatum in nostra diocesi pervenerit et praecipue discretis viris dominis Lüdewico de Polenczg, Petro quondam cappellano in Meydeborne, Nicholao de Rocheliez, Johanni de Frieburg monacho de Posauia ac Henczele Guntheri magistro consulum et Johanni Hosang, Henrico Tuwerke et . . . dicto Oczing, . . . dicto